

icatores; quia ipse D. Rodulphus inimicabatur eisdem Musatto cum quibusdam aliis ad mortem.

*De representatione passionis Christi, & ludi Dei,  
ut ita dicam.*

Anno Domini M. CCC. IV. facta fuit per Cle-  
rum, sive per Capitulum Civitatense repræsentatio, sive factæ fuerunt repræsentationes infrascrip-  
tæ. In primis de creatione primorum parentum, deinde de annunciatione Beatæ Virginis, de partu & aliis multis; & de passione, & resurrectione, ascensione, & adventu Spiritus Sancti, & de Antichristo & aliis, & demum de adventu Christi ad judicium. Et prædicta facta fuerunt solemniter in Curia Domini Patriarchæ in Festo Pentecostes cum aliis duobus diebus sequentibus, præsente Rev. D. Ottobono Patriarcha Aquileiensi, D. Jacobo quoniam D. Ottonelli de Civitate Episcopo Concordiensi, & aliis multis Nobilibus de Civitatibus & Castris Forijulii, die XV. exeunte Majo.

*De morte Illustris Viri D. Alberti Comitis Goriciæ.*

Anno Domini M. CCC. IV. Nobilis Vir D. Al-  
bretus Comes Goritiæ obiit Lonyz, & sepultus  
fuit Rosacis in Vigilia Nativitatis S. Mariæ: & factæ fuerunt ibi magnæ oblationes in die suæ sepul-  
turæ. Dati fuerunt XL. denarii Aquileienses uni-  
cuique Sacerdoti.

*De creatione duarum Præbendarum per Ven. D. Ber-  
nardum Decanum Civitatensem.*

Anno Domini M. CCC. IV. Ven. D. Bernar-  
dus, Decanus Ecclesiæ Civitatensis, fecit & de no-  
vo creavit Presbyteros, Aynzium die ... & An-  
dream filium Dominæ Benvenutæ die octavo in-  
trante Octobri, suos Præbendarios in Majori Ec-  
clesia Civitatensi; quibus dedit certos redditus, &  
proventus. Et eodem anno facta fuit sibi gratia  
in Capitulo Civitatensi per Capitulum, quod eis-  
dem Presbyteris & suis Successoribus non pone-  
rent alias collectas: tali quidem conditione &  
pacto, quod prædicti Præbendarii singulis diebus  
dicere teneantur, unus ad Majus Altare summo  
mane, & alter dicta Missa Majori in S. Johanne  
Baptista certas & determinatas Missas, ut in ipsius  
Ordinatione plenius continetur: & quod ipsi te-  
neantur continue interesse Officiis canonicis.

*De nive grandi.*

Anno præscripto, in Festo B. Blasii, incepit  
ningere in Civitate: & fuit illa nix tam magna,  
quod non fuit homo qui dixisset, se unquam vi-  
disse in Forojulii ita magnam. Et fecit damnum  
valde grande de arboribus, & specialiter pomiferis.  
Et diruit plures domos: & specialiter in Tul-  
mino destruxit villas, & domos quamplures; ubi  
mortui sunt homines, & bestiae satis multæ. Quæ  
nix duravit in Civitate bene XV. diebus in Aprili,

*De captione Speyngenberch.*

Anno Domini M. CCC. V. die ultimo Junii,  
Nobilis Vir D. Rizardus, filius D. Girardi de Ca-  
mino, obsedit cum magna multitudine equitum &  
peditum Castrum & locum Speyngenberch; in cuius  
subsidium & juvamen Dominus Marchio Ferrarien-  
sis misit gentem suam: & insuper Illustris Vir D.  
Henricus Comes Goriciæ, cognatus dicti D. Ri-  
zardi, personaliter venit cum magna gente bene  
parata: & Nobilis Vir D. Meynardus Comes de  
Orrumburk venit etiam personaliter ad dictam  
obsidionem, qui erat similiter cognatus ipsius D.

Rizardi. Dux Carinthiæ misit etiam ibi gentem  
suam. Forojulienses quasi omnes venerunt in sub-  
sidium ipsius D. Rizardi. Omnibus ibidem con-  
gregatis, incepert machinis, ballistis, aliquæ  
ædificiis expugnare locum ipsum, & eis inconti-  
nenti acceperunt aquam. Et ita obsederunt eum-  
dem locum, quod inde nullus exire poterat. Quem  
quidem locum certis pactis, postmodum minime  
observatis, ut dicebatur, eidem D. Rizardo sponte  
dederunt, die IV. Augosti.

*De verra inter Dominum Patriarcham, & D.  
Rizardum.*

Item anno Domini M. CCC. V. Rev. Pater &  
D. Ottobonus Patriarcha Aquileiensis exivit Utinum  
die VI. exeunte Septembri cum gente sua,  
& gente Domini Ducis Carinthiæ. Qui Dux Ca-  
rinthiæ pepigit foedus certis pactis habitus cum Do-  
mino Patriarcha: videlicet, quia Patriarcha con-  
cessit Duci loca sua, quæ sunt in Carinthia; &  
ipse Dux promisit juvare Dominum Patriarcham  
& Aquileiensem Ecclesiam pro posse suo. Qui  
Dominus Patriarcha ivit ad S. Vitum: & Civita-  
tenses, & Utinenses, & pauci Castellani venerunt  
ibi. Et prædicto die, scilicet VI. exeunte Septem-  
bri, Religiosi Viri Frater Albertus Vicarius Do-  
mini .... & Fratres Augustinus, & Enoch ejus  
focius, & Nobilis Vir D. Zanatus Miles & fami-  
iliaris Domini cum filio, venerunt Sacillum, volen-  
tes D. Rizardum de Camino ex parte Domini  
rogare, quod Sacillum, & Canipam, & alia loca  
Ecclesiæ Aquileiensis reddere deberet. Quæ red-  
dere recusavit: & prædictos Fratres, & D. Za-  
natum cum filio, Ambasatores Domini super præ-  
dictis, cepit & eos incarcерavit. Dominus vero  
Patriarcha stebat ad S. Vitum: & gens sua, &  
Ducis aliquando ante Valvesonum, aliquando ante  
Speyngenberch, & contra inimicos diebus singulis  
equitabant, tam amicis quam inimicis nocendo. Et  
in Meduna Dominus Patriarcha faciebat fieri pon-  
tem, unde posset ultra flumen Luenzæ transfreta-  
re. Ex alia parte fluminis erat gens D. Rizardi  
cum ædificiis suis bene munita, & non permisit  
dictum pontem complere, nec in aqua ponere.  
Deinde factæ fuerunt treva inter Dominum Pa-  
triarcham, & D. Rizardum usque ad Festum S.  
Georii: & in Vigilia Omnis Sanctorum Domini  
Patriarcha rediit Utinum cum gente sua.

*De verra inter Civitatenses, & D. Johannem  
de Teyzano.*

Anno Domini M. CCC. V. die Lunæ XI. in-  
trante Octobri, veniens D. Paulus, Capitaneus  
Tulmini, de Tulmino, combussit Massariorum  
domos D. Johannis de Teyzano, qui erat contra  
Dominum Patriarcham: & etiam combussit domum  
Camocii, qui est prope pontem Alzidæ super ri-  
pam Natissæ. Ob hoc D. Johannes motus, cepit  
Leonardum filium Everardi de Civitate, & quem-  
dam Calcificum de porta Brassana, & duos alios  
... & accepit boves, & armenta, & castros be-  
ne in magna quantitate Macelatorum de Civitate,  
quæ erant in Syniruelt in pascuis ipso die. Ci-  
vitatentes statim miserunt nuncios ipsi D. Johan-  
ni, qui relaxaret homines, & animalia redderet.  
Qui cum reddere nollet, eodem die & etiam die  
sequentis Civitatenses combusserunt, & roncaverunt  
iplum D. Johannem usque ad muros Castrum.

*De captione D. Odolrici de Castello.*

Anno Domini M. CCC. (a) die IV. intrante  
De-

(a) Sic in Codice.